22411

89

teki.

Radziwiłłowa Anna Kat.

1. Gloria
2 Żal głowny } 1747.

G L O R I A
I M M O R T A L I S

Poſt Fata

Celſiſſimæ Illuſtriſſimæ ac Excellentiſſimæ Principis in Kowel & Smolany

D O M I N Æ

D. ANNÆ CATHARINÆ

De LUBARTOVICIIS Ducibus SANGUSCIIS

R A D I V I L L I Æ

CANCELLARIÆ MAGNÆ M. D. L.

S U P E R S T E S,

Ejuſdem Nomini Generiq; Clariſſimo, Virtuti Ampliſſimæ, nec non

CELSISSIMÆ PROLI,

Nimirum

Celſiſſimo, Illuſtriſſimo, ac Excellentiſſimo S. R. I. PRINCIPI

MICHAELI CASIMIRO
R A D Z I W I Ł Ł

Duci in *Ołyka, Nieświż, Birże, Dubinki* & *Kleck*; Comiti in *Mir, Szydłowiec, Kopyć, Kroże* & *Białła*, ac in *Zołkiew, Złoczow, Pomarzany* Domino & Hæredi,

PALATINO VILNENSI, Supremo M.D.L. Belli DUCI, Nocarſcenſi, Człuchovienſi, Camenecenſi, &c. CAPITAN

Et

C..ſiſſimo, Illuſtriſſimo, ac Excellentiſſimo S. R. I. PRINCIPI

HIERONYMO FLORIANO
R A D Z I W I Ł Ł

D..i in *Ołyka, Nieświż, Birże, Dubinki, Kleck, Słuck, Kopyl*; Comiti in *Mi., Szydłowiec, Kroże* & *Białła*, ac in *Newel, Siebież* Domino & Hæredi

POCILLATORI M. D. L.

Premislienſi, Krzyczevienſi, &c. CAPITANEO

Non tam ex juſtiſſimi doloris ſenſu, quàm ex ſententia ipſius æquitatis

D E B I T A,

..leriendum Eorundem mærorem in Supremis Juſtis Lugubri Oratione

C E L E B R A T A

..æſtiſſimo RADIVILLIANO Neſviſienſi Collegio Soc. JESU, Anno Domini 1747.

VILNÆ Typis S. R. M. Academicis Societatis JESU.

IN AVITA INSIGNIA
CELSISSIMÆ
ADIVILLIORUM & SANGUSCIORUM
FAMILIÆ.



Alta petit linquens terras, Jovis armiger Ales,
Atq; minax Æquitis fertur in astra chalybs:
ANNAM grande Decus reddant ut sidera terris,
Armatis precibus pulsat uterq; polos.

DE-

DEDICATIO.

ETsi tenebris & solitudini familiarissimus dolor sit PRINCIPES CELSISSIMI, *propterea, quod ut ipse nihil amæni affert, ita omne serenum fugiat; nostra tamen dolens Eloquentia ab umbris in lucem, & in Vestrum conspectum sese profert; ut ægritudinem suam in* [illegible]*uctuoso hoc* MATRIS CELSISSIMÆ *fune*[illegible]*e, compertam exploratamq; orbi faciat. Pro*[illegible]*rt se, sed incompta, qualem decet mærentium esse; nec de cultu dictionis, & fuco oratorum solicita, ne animus fallax, & simulationis arti*[illegible]*ruditus esse videatur. E sententia enim* [illegible]*i Sapientis:* * Oratio vultus animi est;

* Epist. 115.

ſi circumtonſa & fucata, oſtendit ipſum quoq; non eſſe ſincerum & habere aliquid fracti. Non eſt ornamentum utile concinnitas *hoc præſertim tempore, cum majora habeamus, quæ curemus. Ingens ſolicitudo & multa nos circumſtat cogitatio, ut æſtuantem in pectoribus dolorem lenire aliquo pacto valeamus. Quem tamen æſtum graviſſimum non ex eo cognoſci volumus, quòd hæ paginarum facies in publicum ſolem prodeuntes nigrorem contrahant; hoc namq; dicendi genus ludentis non lugentis eloquentiæ eſt indicium. Noſtræ acerbitatis gravitatem qui cognitam eſſe velit, diſcat inde, quòd omne molle ac feſtivum reſpuamus. Unde etiam, ſi ſublimia humiliter, ſi ampla tenuiter, ſplendida ac magnifica ſi ruditer ac inornatè hæc oratio tractaverit, non eam culpam in animum noſtrum, ſed in dolorem* PRINCIPES CELSISSIMI *conferatis. Hoc ſupplex orat*

Veſtro Ducali Nomini & Honori

Devinctiſſimu[m]
Neſviſienſe Collegiu[m]
Societatis Jes[u]

ACerbiſſimum hoc publici luctûs argumentum, quod fati vis ineluctabilis orbi Litvano dedit in ſpectaculum, tam acri dolore confodit animos; ut intra cordis regiones contineri non ferentes, in apertum prorumpant, neq; in ora tantùm atq; oculos, ſed in paginas etiam effundantur. Cum gaudiis ſcilicet commune id mæror habet; ut, quemadmodum illa mentes aliqua voluptate perfuſas ad plauſum & gratulationem accendunt; ſic iſte animum dolore ſaucium ad ſui vulneris ſignificationem propellat.

Hinc dolentes animi velut ignes, non latebras patiuntur, non ſinu cohibentur, ſed cordis anguſtias dedignati foris prominent; erumpunt ore in gemitus, oculis in lachrymas exundant. Noſter tamen dolor non his limitibus continetur: non ſatis putamus indulgere lachrymis, quibus nil citius areſcit; nec contenti ſumus gravibus licèt ſuſpiriis, quæ perinde ac levis vapor evaneſcunt: Longiùs ſeſe effert & excurrit mens dolore æſtuans; publicis monumentis luctũ conſignare decrevit. Et licèt acceptæ à fatis injuriæ vulnus, paginis quodammodo alligamus; iſtam nihilominùs plagam nullâ unquam oblivionis cicatrice obduci volumus; ut hoc pacto lamenta noſtra ad conſequentes etiam pervadant ætates, triſtemq; hujus acerbitatis imaginem nullum unquam tempus ex memoria poſterorum detergat. Tantâ enim ægritudine concuſſit pectora ſolemnis hic mæror, ut univerſam prope Poloniam triſtis ſtupor defixerit, poſtquam immania fata Celſiſſimam Principem de LUBARTOVICIIS Ducibus SANGUSCIIS RADIVILLIAM Cancellariam Magnam M.

D. L.

D. L. & quod ad doloris ictum telum acerrimum est, vestram PRINCIPES CELSISSIMI Optimam PARENTEM, Nostram verò amplissimam Fundatricem ac Patronam abstulerunt. Refricantur crudeli hoc mortis ictu, ejusdem telo superioribus temporibus inflicta, sed procedentium annorum spatio nonnihil obducta Patriæ vulnera; ut lachrymans cum fatis expostulare videatur: *O Fata durissima! o crudeles supra nomen suum Parcæ! itane parùm erat hujus MATRIS Carissima undeviginti Pignora, de me optimè meritæ Domus lumina, mea sidera pæne in ortu extinxisse? non sat erat ante quinq; retro lustra in ejus Celsissimo Conjuge Principe CAROLO RADZIWIŁŁ Cancellario Magno M. D. L. grande Religionis præsidium, Justitiæ asertorem, Ducalis Familiæ ingens decus, publicæ fortunæ clypeum, Cor Regis, omniumq; amorem rapuisse? ut etiam hoc oculis nostris ad solatium lumen relictum extingveretis, tristiq; mæroris nocte terras meas obrueretis?* His sanè querentem cum fatorum inclementia Patriam audire videmur, hujusq; luctuosi sermonis index quidam ac interpres esse vi-

 detur,

detur, tot Præſulum, tot Procerum, tot Lechicæ gentis Civium ad funeris pompam concurſus. Et quidni tota lamentari dicatur Reſpublica? cum mæreat Equeſtris ordo, Nobiliſſimum Principem, Litvaniæ Martem, ſupremum Exercituum Ducem, juſtiſſimo ac potentiſſimo dolore victum conſpiciens; cum lugere Senatum atratus ille teſtetur ſqualor, qui in tot Procerum Aulas immigravit; & ipſa Sereniſſima Poloniæ Majeſtas in conſolanda Prole Celſiſſima non mediocrem animi dolorem adhibeat. Lugent etiam cum minima JESU Societate univerſi Religioſorum Ordines, ereptam ſibi tam munificam Dominam & Patronam, ſqualent ipſa Templa, pretioſis nuper muneribus cumulatiſſimè donata. Univerſus itaq; Polonus orbis Principem optimam deſiderat; quæ ſi vitam pro vita paciſci integrum foret, nunquam è vivis fuiſſet excludenda. Quanquam Illa non tam excluſa eſt è vita, quàm potiùs exiît. Non in eorum namq; vixit contubernio, qui deſideria & ſua in terris vota æternitate, cætera verò omnia caſu metiuntur; quibus ſcilicet omnia

acci-

accidunt, non eveniunt, únde etiam ipſi non tam è vivis diſcedunt, quàm vel inviti exturbantur. Non, inquam, ad eorum ſocietatem Celſiſſima ANNA aliquando acceſſerat; exploratiſſimum Illi erat lubricas eſſe ſpes vitæ, noſq́; illum ipſum diem, quem agimus cum morte dividere. Nunquam ei ex animo effluxerat humanæ conditionis neceſſitas, cui vi nulla obſiſti poteſt; unde non invito animo vitam cum morte commutavit. Imò illud etiam dicendum eſt: ſatis & Naturæ & Gloriæ vixiſſe hæc Princeps videtur; nam & Virtutibus immortalitatis honore digniſſimis eò pervenerat, ut memoria Ejus in exteras quoq́; Gentes egreſſa, magis apud animum cujuſq́; quàm apud urnas ſit commoratura; & diebus ſuis eò ætatis proceſſerat, ut non vi morbi aut inexpectato mortis telo confecta, ſed annis feſſa in hoc communi mortalitatis portu ad quietem procubuerit. Cum tamen nunquam non acerba & immatura mors eorum videri poteſt, quos populi velint æternùm vivere; quis jam demirabitur univerſorum ferme animos dolore lacerari, poſtquam Il-

la vixit, cujus ſi vitam redimere liceret, plurimi de ſuis annis illi concedere non dubitarent. Ita enim fert magnorum natura bonorum, ut quemadmodum eorum amiſſio nunquam eſt feſtiva, ita ſemper videatur eſſe feſtina; & quò majori ſvavitate mentem poſſeſſa deliniunt, eò acriori dolore animos exulcerent amiſſa. Atq; hinc non abſimile quidpiam hoc tempore nobis accidiſſe videmus, quòd in cælis & hortis uſuvenire conſpicimus. In cælis Aſtrum illud aureũ, Princeps ſiderum, luminumq; parens, poſtquam larga luce terras compleverit, licèt jam provecta ad grave quaſi ſenium die, diurni temporis curſum conficiat, neq; in æternam noctem, ſed paucis horis rediturus occumbat; quàm lugubris tamen umbrarum ſqualor ſemper ejus funeri ſuperſtes terras involvit? In hortis florum Regina Roſa, utut ſatis quandoq; publicæ mundi luci ſeſe vulgaverit, ſpectatorem oculum venuſtate ſua affatim ſaciaverit, ubi tamen quodam veluti ſenio confecta defluxerit; quid, niſi triſtes ſpinæ ſuperſunt? Pariter in præſentiũ rerum ſtatu evenit: Principum Filia & Mater,

ter, Optimatum Matronarum ſidus clariſſimum, poſt illuſtratas abundè decorum ſuorum luce terras, occidit; poſt diffuſum latiſſimè famæ odorem, Flos hic à Purpura domeſtica roſeus ipſa maturitate defluxit; extincto itaq; lumini ſuccedunt tenebræ animorum; collapſo Flore pro ſpinis rigent acerrimi dolores, quos non ferre poſſumus, quin exclamemus: Vixit! o ingens antea Litvaniæ ſolatium, o acerbiſſimũ hodie luctûs argumentũ! Vixit ANNA! cui annos infinitos, vitamq; immortalem optabamus; Vixit! quæ meruit, ut ſemper viveret. Procubuit illa Arx pietatis, omniſq; honeſti Domicilium! quod ut tam ſublimè aſſurgeret, omnes vires Natura & Fortuna, Virtutes & Gratiæ conſumpſiſſe videbantur. Verùm! quid indulgemus dolori? cui frænos remittimus? ut ab omni ſolatio longiùs abripiamur. Meritò quidem lachrymis pupillæ innatant, dum communis pupillorum orphanorumq; Mater deceſſit; neq; vivorum duntaxat, ſed Divorum etiam ædes ſqualent; dum Princeps illa vitam amiſit, quæ ſubſidia vitæ, quàm plurimis ſubminiſtra-

bat, Cælitesq; in aris ornabat. Cum tamen neq; lachrymis dura fata mollire, neq; suspiriis cælum usq; licèt petentibus atras mæroris nubes dispellere valeamus; imò cum hi ipsi tristes anhelitus, graviorem luctuum concitent tempestatem; subsidat paulùm dolor, necesse est. Et certè vanis querimoniis fata lacessimus, cùm hac mortalitatis lege universum hominum genus Suprema DEI immortalis vis ac Potestas devinxerit, ut quisquis ad vitam editur, ad mortem destinetur. Gratias immortales potiùs Illi habeamus, cujus nutu atq; consilio res omnes geruntur, quòd tantæ Principis conspectu, Virtute, & Gratiis, tam diu frui nobis concesserit. Quanquam est & aliud, quod sævientem nostris in pectoribus dolorem possit temperare. Nimirum Gloria superstes post fata Celsissimæ Principis tantùm roboris ad leniendos animos in se habere videtur, quantam vim funesta mors habuit ad exulcerandos. Et verò, quidni illa solatio esse possit, quæ mortuis vitam parit priore vitâ beatiorem? quidni animorum vulneribus mederi valeat, quæ illud

pon-

pondus ac momentum in mortalium animis habet, ut ejus ardentiore ſtudio, commune omnibus, etiam diuturnioris ævi deſiderium in ſe ferme extingvant. Hinc plurimi velut æſtu quodam perciti mori properaverunt, ut eam celeriùs conſequerentur. Ad hanc igitur ab illius vulneris atrocitate abductos revocemus animos, ut mærore obruti, hoc ſpectaculo nonnihil releventur, oculiq; lachrymando defeſſi aliquantùm conquieſcant. In luctuoſo à nobis diſceſſu ſingula bona ſua diſpertiît PRINCEPS: Animum immortalibus decoribus plenum, ut piè opinamur, Cæli repetierant; pias corporis exuvias Ducale Mauſolæum depoſcit, juſq; ſibi ad illas terra prætendit; opes facultateſq; ampliſſimæ, Soboli cariſſimæ ceſſerunt: de ſuperſtite Gloria, quam ſua poſt fata ANNA reliquit, magnalis oritur, quem illius ſcribemus hæredem? clariſſima Nominis & Generis dignitas ſuam hanc Gloriam eſſe dicit; ampliſſimæ Virtutes Principis, quæ cũ illa ſepeliri nequeunt, ſuam vendicant; PROLES CELSISSIMA hanc ſuam hære-

ditatem esse confirmat. Ingens certè atq; omni ex parte potentissima Nominis & Generis Clarissimi, amplissimarum Virtutum, nec non CELSISSIMÆ PROLIS de hæreditate Gloriæ superstitis contentio; nulla tamen dissensio, unde nec sententiæ in sæculorum judicio ferendæ studia in contraria distrahentur. Omnia hæc lugubris Eloquentiæ sunto argumentum; ut animi doloris æstu pæne absorpti, hujus in præsentia controversiæ arbitri facti, cùm partis cujusq; jura & causas perpendent, sibi se vindicent, & à solicitudine mæsta abstrahantur. Obsistit quidem mæror Eloquentiæ hæc acta in lucem proferre cupienti, conatumq; repellit, & quod hæc consignat literis, ille delet lachrymis; nihilominus difficultatem ejusmodi nostrâ in Principem demortuam pietate & ingenti studio superare connitemur.

PARS PRIMA.

INolevit quorũdã mentibus, sed nimis iniqua fortasse opinio; eam esse duntaxat justam, solidam, veramq; laudem; ad quam nec

nec Dignitas Nominis, nec ſplendor Generis, nec etiam ipſa Fortuna quidquam contuliſſe glorietur. Quæ integritas famæ, (inquiunt) ſi ex illa quidpiam aliena auxilia decerpant, ſibi laudem detrahit, qui ejus ſtudia cum aliis communicat. Satiùs ſuis in integro rebus florere, quàm Genere & ſorte, aut Majorũ niti opinione. Hinc non nemo inſolentiùs, quàm veriùs prædicabat: ſe ſuis majoribus virtute propria præluxiſſe, ut ſi priùs in tenebris & oblivione jacuerint, vel à ſe ſolo lucem & initium memoriæ accipiant. Ac iſte quidem Gloriæ æſtus eſſet ferendus, niſi plùs æquo ardentior & injurioſior videretur. Non imus inficias, ſpecioſos titulos, fumoſas Majorum Imagines, & illuſtria rerum ab illis geſtarum monumenta, non tam eſſe gloriam, quàm ad eam ſectandam incitamenta; quid inde tamen? nihil igitur eamobrem Nomini, nihil Generi, nihil Avis Proavisq; omnium ætatum prædicatione digniſſimis referendum; ſi Nepotes virtutibus floreant, ſi famâ orbem impleant? Apage à nobis iſtiuſmodi ſententia, hoc potiſſimùm loco, ubi

bi Nomen & Genus Principis clarissimæ Gloriam superstitem sibi vendicant, iisdemq; hac in causa & natura, & dignitas, & merita, honoresq; suffragantur. Si namq; primò Parentem atq; Magistram omnium naturam spectaverimus, ejus quodam veluti instituto fieri videtur; ut Nati, quemadmodum animum à Supremo Numine, ita si non gloriam, certè gloriæ semina à præclaro Nomine & Genere accipiant. Quidni igitur hoc decus immortale iisdem referatur, à quibus profectum est, & ad quod consequendum nonmodò præduce quasi gressu viam Principi commonstrârunt, sed etiam plurimùm auxilii contulerunt, ut illud ampliùs & illustriùs oriretur. Hinc si flores odorem coloremq; suum stirpi, fructus dulcedinem suam arbori, aurum volventes fluvii suas opes referunt fontibus, unde effluunt; aut terris, per quas meant; æquũ erit ex ipsius naturæ consilio, ut in Nomen, in Genus, in Familiæ arborem, in sangvinem Gloria hæc redundet, quam Princeps nostra virtute sibi à Majoribus transmissa comparaverat. Sed eam merito atq;

opti-

optimo jure illis deberi Nominis & Generis Dignitas ingens, Merita amplissima, summiq; in Patria Honores etiam contendunt. Si Nomen requiritur, quod per fædera Matrimonii induit ANNA Celsissima? RADIVILLIA est. Si Genus, unde ortum suum ducit? SANGUSCIA est. Satis superq; diximus; & quantum juris habeant ad Gloriam, vel solis his nominibus abundè explicuimus. Utrumq; enim Dignissimum, utrumq; meritis amplissimum, utrumq; Honoribus ornatissimum.

Quanta sit Nominis RADIVILLIANI Dignitas, si quisquam ignoret, eum necesse est non modò in publicis famæ monimentis peregrinum & hospitem esse, verùm etiam in clarissimarum totâ Europâ rerum ignoratione versari. Ecquis enim hodie vel in extremos Europæ fines recedit locus, quò hujus præstantissimi Nominis fama non pervaserit? Quem populum, quam gentem, quam regionem tam longè ab orbe Polono natura submovit, ut eam RADIVILLII non modò suorum decorum luce, verùm etiam admiratione non compleverint? Tanta e-

nim eſt hujus Celſiſſimæ Domûs amplitudo, ut vix aliqua Chriſtianis in regnis emineat Majeſtas, quam Ducalis hæc Proſapia, aut communione ſangvinis non complectatur, aut propinquitate non attingat. Adoravimus hoc Nomen Poloni in Sereniſſima Noſtra olim Regina BARBARA de RADIVILLIIS, quam SIGISMUNDUS AUGUSTUS connubiali fædere ſociavit, & JAGIELLONICAM ſtirpé ſuis in ſurculis ab Auſtria, Saxonia, Svecia adoratam, RADIVILLIANO Nomini affinitate innexuit. Vidimus in WISZNIOVIECCIANA Luna lumen Regum MICHAELEM I. hoc Sidus etiamnum fulget in Domeſtico Principum Noſtrorum cælo. Coluimus in ſolio JOANNEM III. Poloniæ Regem ſecundiſſimum, venerabatur haud ita pridem Germania Cæſarem CAROLUM VII. ſemper Auguſtum, Ille Avus veſter Principes Celſiſſimi MICHAEL & HIERONYME! hic Frater Amitinus. In præſentia verò hujus Cæſaris Auguſtiſſima Proles, Bavariæ Principes MAXIMILIANUS & MARIA ANTONIA per recentiſſima cum SAXONICA nobis

feli-

feliciter imperante DOMO Connubia, unà & Illius, & Galliæ, Siciliæ, Hiſpaniæ ſceptra in unum quaſi faſcem colligata per affinitatem Ducali Veſtræ Domui intulerunt. Ad hanc quoq; neceſſitudinem Regnatorē DANIÆ & Angliæ ſangvinem, horum regnorum Regibus Affines Principes Brandeburgici JOANNES GEORGIUS & LUDOVICUS Celſiſſimo RADIVILLIORUM Nomini adjunxerunt; ille Filiam SOPHIAM JANUSSIO RADIVILLIO, hic LUDOVICAM RADIVILLIAM Matrimonii fædere ſibi devinciendo. Tacemus Neoburgicas, Anhaltinas Purpuras? Tacemus etiam Ducum, Marchionum, Comitum de Strozi Dignitates ampliſſimas, Duces quoq; Mantuæ GONZAGAS, alioſq; ſexcētos Principes RADIVILLIANÆ Domui affinitate conjunctos, quos ſi vel fugiente oculo reſpexerimus; profectò non Europæ tantùm, ſed Aſiæ, ſed Africæ etiam, imò Divorum quoq; ſplendoribus innutritam Ducalem AQUILAM, in extremos pænè orbis fines alas ſuas affinitate protendiſſe nemo inficiabitur. O quanta Nominis RADIVILLIA-

NI amplitudo, quanta Dignitas, quàm longè & latè diffuſa Majeſtas, ut Ejus Domicilium orbis nonniſi limitibus terminetur. Verùm neq; Patrio in orbe quidquam nitet, quod huc referri non geſtiat. Poſtulat RADIVILLIORUM Sangvinis communionem quævis Sarmatiæ Purpura, gloriæq; ſibi ducit, ſi eo tingatur. Unde omnia ferme Gentis utriuſq; ornamenta, grandia nimirum illa Poloniæ & Litvaniæ Decora Principum CZARTORYSCIORUM, LUBOMIRSCIORUM, OSTROGIORUM, POTOCCIORUM, SAPIEHARUM, BRANICCIORUM, CZAPSCIORUM, ZAWISZARUM, JABŁONOWSCIORUM, ZAMOYSCIORUM, MYCIELSCIORUM, WOŁŁOWICCIORUM, OGINSCIORUM, MASSALSCIORUM, PACORUM, POCIEJORUM, SOŁŁOHUBORUM, CHALECCIORUM, SIESICCIORUM, POŁUBINSCIORUM, TENCZYNIORUM & alia numerô infinita Nomina huc convolant, ut in partem tantorum ſplendorum veniant, claritatemq; ſuam augeant.

Neq; tamen hìc ita clauduntur, ut longiùs

giûs sese non proferant. Concurrunt namq; certatim universa hæc Lumina in excelsum Principis ANNÆ Genus, in vestram scilicet sublimibus Altam COLUMNIS, atq; cũ Nomine RADIVILLIANO summa necessitudine conjunctam Domum CELSISSIMI LUBARTOVICII Duces SANGUSCII! & quemadmodũ inter utramq; hanc Prosapiam intercedit Sangvinis Conjunctio, ita Decorum omnium quoq; amplissimarumq; Laudum mutua est communio. Utraq; simul hæc orta est cum Litvania, utraq; etiam adolevit cum virtute. Quodsi altiûs repetemus Majorum seriem, utriusq; Familiæ Authores Romanos rerum Dominos Gentemq; togatam, & constans omnium opinio, & scriptorum monumenta loquuntur. Utriq; huic Domui cesserunt in fundamentum magna Italiæ ornaměta, nobilissimi scilicet olim Latii Heròés, dein Magni Ducat9 Litvaniæ Principes Civiũ amores, hostiũ verò immẽsi terrores. Referrem9 hoc loco mentẽ ad præteritã & longi9 â nostra memoria remotã ætatẽ, qua NARIMUNDUS RADIVILLIANI & GEDIMI-

 DIMI-

DIMINUS SANGUSCIANI Generis Parentes claruerunt, magnāq; certè lucē huic orationi afferrēt, nisi excelsus RADIVILLIORū SANGUSCIORūq; animus, exiguos censeret esse licèt amplissimos splendores, qui aut ab affinitate, aut ab origine tantū derivantur. Non satis nāq; putârunt hi Principes minorum siderum more de alieno lucere, nisi solis instar ex seipsis etiam lucem proferentes Patriam illustrâssent.

Ut itaq; altissimæ Nominis & Generis Digni tati, par esset Meritorum amplitudo, o quæ & quanta egerunt, imò quid non egerunt in Sago & Toga RADIVILLII & SANGUSCII? Nullus certè extra omnem etiam ingenii aleam positus tantis Eloquentiæ abundat divitiis; ut res eorum gestas pro dignitate possit verbis exornare. Et verò quis eorum in tuendo regendoq; exercitu peritiam, industriam in bellis administrandis, celeritatem & fortunam in conficiendis, aut calamo assequatur, aut oratione comprehendat? Quis gentes immanitate barbaras victore ferro edomitas, extincta perduellionis incendia, attritas hostium & fractas vires, bellaq; aut audito solo

lo horum Principum Nomine attenuata & imminuta, aut virtute & viribus ſublata ac ſepulta enumeret? Non eſt quod Pompeios, Decios, Camillos, Lucullos, Julios, aliosq; hujuſmodi Roma jactet bellorum Imperatores, in quorum ambitioſa cognomenta orbis pæne (dicam) ſeſe lacerabat, ut à cæſis exercitibus, direptis Provinciis Affricani, Aſiatici, Achaici, Macedonici, Numidici dicerentur. Si hæc à Populo Romano recepta illo ſæculo conſvetudo apud Gentem Polonam vigeret, profectò longè major titulorum turba in exornandis RADIVILLIIS ſeſe implicaret, & à rebus hoſtium perditis ac profligatis Ottomanici, Tartarici, Gothici, Livonici, unâ omnium voce animorumq; conſenſu celebrarentur RADIVILLII. Quodſi etiam Romanorum exẽplo, victoriæ præmia eſſent, non Nomina tantùm nova ſortiri, ſed triumphos agere, ſolemniq; pompâ inter populorum acclamationes in Urbes invehi; qui plauſus, quæ laudes, quæ laureæ non conferrentur in RADIVILLIOS? Quinq; hoſtium millia qui prælio ſuperâſſet, eum ampliſſimis tri-

umphis ac pæne Divinis laudibus ornabat Roma: si parem gratiam & honorem habuisset Victoribus Polonia, quibus trophæis non exornarentur NICOLAUS Primus & secundus RADIVILLII? qui armatum plùs quàm centum millibus Orientem à Lechico septemtrione minore longè suorum manu toties represserunt, ingentiq; clade perdomuerunt. Quot laureis coronaretur GEORGIUS Castellanus Vilnensis & Supremus Exercituum Dux, ab heroicis laboribus *Miles* dictus, qui triginta prælia confecisse memoratur, ubiq; hostium domitor, ubiq; Victor, ut fortunam in sua potestate positam habuisse videretur. Quot arcus triumphales flecterentur CHRISTOPHORO, (*a*) Cujus multiplicium victoriarum testes sunt, Disna, Turoulia, Duna, Vielicolucum, Volga. Ponerentur etiam obelisci, excitarentur Pyramides MICHAELI Vestro Principes Celsissimi Avo, cujus gladius quantùm adversùs hostes egerit in acie, testatur Chotimum. Ubi primo omniũ prælio fractis hostibus quasi effregit Ottomanicam Portam, viamq; felicissimo auspicio

& au-

(*a*) Niesiecki t. 3. f. 818. ex Bielsc: Cluv. Kojał:

& auxilio ad celeberrimam toto orbe victoriam Polono Marti aperuit. Quid memorem alios fortissimos Heroas? quos illi referrent triumphos? quibus acceptum refert Patria tam magnum sui incrementum, tot tantasq; Provincias ditioni suæ subjectas, & incredibilem hanc gloriam ac felicitatem à tot sæculis ad hæc usq; tempora propagatam. Hunc in Martis arena victoriæ gloriæq; cursum quàm strenuè tenuerit SANGUSCIANUS etiam Eques, documento est ROMANUS SANGUSCIUS Palatinus Braclaviensis, Campi Dux Litvaniæ, qui ut ad immortalitatem iter expeditiùs haberet, obsistentes hostium copias in campis *Ivanensibus*, & ad *Ułam* repetitis multoties præliis contrivit ac contudit. Tartaros pariter cum interempto eorum Duce, Nominis ferriq; sui terrore perculsos in tartarum profugere compulit. Parē animi fortitudinē in SIMONE Duce SANGUSCIO Palatino Vitebscensi mirabatur Polonia, verebatur Svecia eiq; vicina orientis regio; illa ejus robore in fugam acta, hæc ab Urbe Vitebscensi repressa. Ast

quò raperis calame? num per singula eorũ Heroum vestigia ire contendis, quibus contentionum magnitudine, numero præliorũ ac celeritate conficiendi vix quispiam conferri potest, qui victore gressu citiùs terras peragrârunt, quàm tu paginam prætervolas? Ita sanè præstantissimi Duces RADIVILLII & SANGUSCII non hostes tantùm, sed Oratores etiam vos esse sibi graves sentiunt, cum illos verborum inopes ipsa rerum à Vobis in Sago gestarum copia faciat, vestrorũq; meritorũ pondere opprimat. Quid si res quoq; gestas in Toga in mediũ proferre præsumeret, quæ percenseri numerando nequeunt? Si obitas cũ omni genere laudis, & cum publicæ rei emolumento legationes, si pacta cum gentibus exteris fædera, firmatas Poloniæ cum illis Societates, si saluberrima ad medendum Patriæ consilia in Regni comitiis, si administrationes justitiæ in Tribunalibus, hæc oratio in se complecti cuperet; in immensũ certè cresceret, & quàm facilè exordium reperit, ita finem dicendi non inveniret. Amplissima hæc in Patriam bello & pace,

mili-

militiæ & domi merita procurrentem dictionẽ compellunt, ut etiã non inferiora iis in Superos & Religionem Principum horũ ſtudia prætermittat. In his namq; celebrãdis, non modò exitum orationis invenire, ſed ne initium capere promptum eſt. Mirari tantùm illa, non eloqui licet, quorum laudibus nulla unquam ætas eſt finem allatura. Cum ad ſolum Principem NICOLAUM Fundatorem noſtrum ampliſſimum animus convertitur, quò ſe primùm vertat, ignorat. Hinc enim menti occurrunt Tẽpla magnificentiſſima, Ducali Ejus liberalitate, tum à fundamentis excitata & ditata, tum inſtaurata & refecta; inde quàm plurimæ Religioſorum Domus partim erectæ, partim liberaliſſimis donis auctæ & illuſtratæ. Illinc ſeſe objiciunt maria emenſa, terræ peragratæ, Palæſtina, Syria, Ægyptus pietatis Ejus veſtigiis conſignatæ. Tanta dicendorum de uno copia cogit noſtram eloquẽtiam, ut ALBERTUM Pinſcenſis Collegii Fundatorem munificentiſſimum, GEORGIUM Cardinalem, Summum Vilnenſis Academiæ Patronum, aliosq; innumerabiles Re-

ligionis vindices, Eccleſiæ defenſores, Sacrarum ædium Fundatores, Religioſorum Protectores RADIVILLIOS & SANGUSCIOS ſilentio involvat. Certabant cũ Principum Meritis, grati animi ſignificationibꝰ Religio & Patria; nec vincere poterant. Illa Romanã Purpurã, Cardinaliũ pileũ, Præſulũ violas, annulos, tiaras contulit; hæc metuendas hoſtibus Ducum clavas, Cancellariorũ ſigilla, Mareſchallorũ *Scipiones*, Senatorũ laticlavia, aliaq; honorum ornamenta in Domum Principum congeſſit, neq; tamen effecit, ut præmia rectefactis ex æquo reſponderent. Impar horum omnium magnitudini & oratio, relinquit univerſa venturis ætatibus prædicanda; nequit tamẽ vel fugiente dictione non meminiſſe Magni Parentis in funere Filiæ nimirum Ducis HIERONYMI SANGUSCII, virtutum, Eloquentiæ decore, militarisq; artis ſtudio ornatiſſimi, bonorũ omniũ dolore præmaturis fatis erepti. O ſi illi integrũ foret, communẽ hanc lucem diutiùs intueri! quantus gloriæ ſplendor ab Ejus virtutibus acceſſiſſet Patriæ? qui necdum ſeptimum ſupra vigeſimũ an-

num

num egreſſus & jam quater Nuntius ad varia Regni comitia, maturis conſiliis ſuccurrẽs, magnis labentes res Lechiæ munivit firmamentis. Hujus arboris præmaturè à fatis exciſæ virtutem ex pulcherrimo Ejus fructu cognoſcat orbis in Celſiſſimo Principe PAULO SANGUSCIO HIERONYMI Filio, Mareſchalco Magno M. D. L. Quis hoc Principe aut morum integritate, aut cõſilio, aut publici boni ſtudio, aut authoritate, aut ullo genere laudis præſtantior? Quæ virtus nominari poteſt, quæ in Illo ita non emineat, ut omnium oculos non incurrat? Alter fructus Ejuſdem Parentis HIERONYMI ANNA Celſiſſima, quanto prædicationis lumine digna, altera pars orationis eloquetur. Cum verò omnis pæne laus fructuum in ſtirpem & radicẽ redundet, metire jam orbis, quàm longè æquiori jure Gloria poſt fata ANNÆ Superſtes RADIVILLIANO & SANGUSCIANO Nomini & Generi ſit referenda, niſi audeas eſſe injurius tantæ eorum amplitudini, tot Regum Majeſtatibus, meritis, & honoribus.

PARS SECUNDA.

IN alteram orationis partem, & unà in graves anguſtias venit Eloquentia. Hinc enim illam ſævior laceſſit dolor, inde non levis circumſtat timor. Magna ſpes animum ſubitat, afflictis in præſentia rebus grande ſolatium affuturũ à commemoratione virtutum, quas Celſiſſima ANNA reliquerat Poſteris ad exemplum, & leniendum doloré. Sed o miſeram! atq; acerbiſſimam noſtram conſolationẽ! in qua ipſa ſolatia augent mærorem, cum ipſæ Virtutes adeo ſqualere videntur, ut vix à præficis diſtingvere valeamus. Mærent nãq; illæ quodammodo, quæ ſimul viventes cum Principe, unà mori cum Illa nequiverunt. Dolent ſe eſſe deſertas ab hac MATRE, quæ eas in pectoris ſinu à teneris fovebat, lugent auguſtius hoc ſuum à fatis everſum ſacrarium; in quo religioſiùs, quàm olim Numina in Pantheo colebantur. Cum itaq; ab harum mærore profectus dolor noſtros premit animos, alio ex loco invadit timor. Veremur etenim, ne anxiis & ſolicitis Virtutibus graviorem afferamus acerbitatem exinde, quòd hac orationis diviſio-

ſione, illas à Clariſſimo Nomine & Genere ſeparaverimus, cum quibus tam arctâ ſemper habuerunt neceſſitudinem, ut nunquã ab illis divelli paterentur. Et juſtus ſanè fuiſſet hic metus, niſi id eo conſilio feciſſemus; ut cum omnia dolor miſcet atq; confundit, integer ſaltem ordo orationis ſervaretur. Comprimite itaq; ejuſmodi angorem, & jam in mediũ prodite orphanæ Virtutes, ut jus veſtrum ad Gloriam commonſtretis. Aſt, quò hæc inaudita unquam præcepta? adhucné à Virtutibus jus ad Gloriã deſideratur? graviſſimâ injuriâ afficit, qui hoc ab illis exigit. Hoc eſt namq; lucem in ſole quærere, aquam in fonte aut mari deſiderare. Nulla ætas tã cæcum atq; impudẽtem in orbem protulit, qui quod optimum atq; pulcherrimum cogitari poteſt, aut virtutem non eſſe, aut virtuti non deberi, judicaret. Si vitia, quæ virus ac dedecus ſuum ab oculis mortalium ſuppreſſum in occulto continent, cum virtutis perſonam induunt, illiusq; duntaxat ſpeciem præſeferunt, nihil pæne laudis non conſequuntur; in Templis, foro, curia, roſtris, aris, coloſſis, ſtatuas illis

 adu-

adulatio populorum erigebat; ipſané vera & germana virtus, verum & ſtabile decus gloriâ ſpoliabitur, cujus origo eſt & fons & parens? Certè in iniquiſſimi etiam judicii procella, ubi venalis quæq; ſententia, litem non amitteret virtus; cum ipſa ſit & pretiũ & munus, quo nullum majus. Atq; ſatis, opinor, hac in cauſa diſceptatum eſt; nullus longiori controverſiæ locus relinquitur, cũ ita perſpicuum eſſe videatur, ut vel ipſi oculi judicare poſſint Virtuti gloriam & honorem deberi. Et jam diſcederemus ex foro ejuſmodi, niſi ipſas inter virtutes non exardeſceret contentio, cui ſuperſtitis Gloriæ potiores partes ſint concedendæ? Enimvero primas ſibi unaquæq; depoſcit, & quanta omnium concordia ac concentus in Principe noſtra fuerat, quanto etiã ſtudio omnes illa complexa eſt; tanta hodie luctatione de laudibus contendunt.

Ac primò quidem prodit in hoc forũ ardentiſſima in Superos Pietas, quæ à teneris cordi Celſiſſimæ ANNÆ inſidens, cum illa crevit, nec unquam conſenuit. Teſtantur hucusq; in Vilnenſi Religioſarum Divæ Cla-

ræ

ræ Virginum Collegio parietes, quàm ſvavem Ejus pietatis ſenſum perceperint, cum inter illos primam ætatem exigeret, ut reliquæ inſtituendæ rationem ſumeret. Teſtantur etiam domeſtica Ejuſdem conclavia, quæ tum connubii fædere juncta, tum viduitatis laudibus pollens aliquando incolebat; quantum ſtudium rerum Divinarũ in illa eluxerit. Quid namq; illa vigilans ſolicitudo, ne ulla dies efflueret, cujus exordium & exitus non ille eſſet, qui eſt *Principium & Finis* rerum omnium. Quid illa ſancta conſvetudo magnam quieti partem ſemper detrahere, aſtra matutina antevertere, ne in colendo Numine præcurrerent? Quid ſingularis Sanctiſſimarum in Divino Sacrificio cæremoniarum veneratio, quibus quotidie piè & religiosè interfuit? ut in maximis curarũ fluctibus ad Euchariſticæ hoſtiæ aram velut ad anchoram confugeret, ab hocq; piiſſimo inſtituto, etiam iter conficiens, ne latũ ungvem aliquando diſcederet. Neq; his finib9 Pietatis ardor ſe continuit, ad aliorum etiã corda inflammanda erumpebat, utq; hanc cæleſtem flammam conciperent; pretiũ &

 operam

operã contulit ad evulgandum typis librũ, qui ad tractãda regia cum DEO negotia, (a) Mortalium animos invitaret. Quanto etiam ſtudio Cælitum Reginam coluerit, teſtis extat libellus, quem de cultu hujus Sanctiſſimæ Matris conſcripſit, publiciq́; juris fecit. Miſſum facimus ex pietatis virtute profectũ in Principe illũ honeſtatis vigilem amorẽ, ne quid ornamenti in atriis, in conclavibus, in aulæis niteret, quod non verecundia penicillo aut acu pinxiſſet. Silentio tamen prætermitti haud poteſt, incredibilis ac pæne Divina in Divos & Vivos liberalitas. O ſi lapides & ſaxa dicendi copiam acciperent, obſtinatumq́; ſilentium rumperent, nullo unquam tempore de hujus virtutis laudibus conticeſcerent. Quanquã ſilentibus etiam ſaxis verſabitur hæc in ore omnium, quorumcunq́; oculos incurrent munifica Principis manu excitatæ in Białenſi Divæ ANNÆ Templo aræ, veræ in Superos liberalitatis pietatisq́; monumenta. Prædicabunt eandẽ & aliæ quàm plurimæ Divorum ædes pretioſis à Principe donis illuſtratæ. Neq́; ſinet e-

jus

(a) Celſiſſimæ Cancellariæ curâ libellus reimpreſſus, qui inſcribitur: *Pańſka z Bogiem zabawa.*

jus Laudē obſcurari ſplendor ille, qui auro, gemmis, omniq́; peregrinæ opulentiæ cultu conſpicuus manu aut cura ANNÆ Sacris Miniſtrorum DEI veſtimentis innexus elucet, quæ quotannis in varia diſſeminabantur Templa eo prope numero, quem hebdomades complectuntur in anno. Ea fuit in Principe de Divis benemerendi voluntas, quæ verò beneficentia, quàmq́; intenta & accincta bonitas fuerit in vivos, diſertiſſimè atteſtatur in Alba Ducali fundata atq́; liberaliter dotata Domus *Sororum Charitatis*, in qua pupillarum Virginum chorus ad octogeſimū ſubinde numerum aſcendens, & Chriſtiana pietate, & artibus à muliebri ſexu non abludentibus imbuitur. Teſtatur quoq́; & aliud nobilium Viduarum contubernium, quod toto vitæ tempore aluit, fovitq́; Princeps non aliunde invitata, quàm à ſui animi bonitate. Nec tacebunt illi, qui graviori fortunæ vulnere percuſſi atq́; inopiâ aggravati, toties in Ejus miſericordia medelam ac levamē invenerunt, aut quibus morbo preſſis miniſtros præbere, cibos ſubmittere, ipſa demū frequens inviſere, affectos conſo-

 lari,

lari, convaleſcentibus gratulari ſolebat, cuncta agendo benignitate ſummâ, oſtentatione nulla. O rarum in ſublimi fortuna clemētiæ, pietatis, comitatisq́; exemplum! o inaudita tenuiore in ſorte humanitas! ſed ubi hanc ſuſpenſis animis admiramur, ecce profert ſeſe in medium vitæ dux, virtutumq́; ipſarum moderatrix Prudentia, quæ à Principe Celſiſſima ut ſolis fulgor à cælo nūquā aberat, & velociſſimi ſideris inſtar omnia inviſebat illuſtrabatq́; Hæc in negotiis cōficiendis, in rei familiaris adminiſtratione, hæc in Sobolis Celſiſſimæ inſtitutione, hæc in ſingulis demum actionibus omnia explorabat, ponderabat; quid loco, quid tempori, quid Nominis & Generis Dignitati, quid Gloriæ conveniret? ut nihil non ex certa animi providentia ſuſciperetur, nihil non modò ſine utilitate, ſed ne ſine omni quidem laude conficeretur. Hinc etiam illa cujusq́; ſermonis lima; ut nihil non ſplendidum, nullum non ab omni dedecoris levitatisq́; ærugine expolitum verbum ore Ejus efflueret, ut ſingulas pæne illius ſententias tanquam ex Delphico tripode deprompta oracula, re-

verens

verens omnium exciperet attentio. Hinc illa in tam magna fortuna animi moderatio, ut non Genus à Proavis ingens, non splendor Nominis, non opes & potentia ad aliorum despicientiam efferre potuerint. Hinc gravissima non modò apud populares, sed etiã apud Regni Proceres authoritas, ut omnẽ honorem ei haberent, laudibus efferrent, prosequerentur studio, judiciumq; illius sequerentur. Meretur quoq; gloriæ ornari decore illa in laboribus honestissimis sedulitas, quæ somnum pæne ab oculis ANNÆ fugere compellens, ternas duntaxat horas quieti concedebat. Potiorem namq; noctis partem aut precandis Superis, aut evolvendis scriptorũ monumentis consecrare, pulchrum Principi ac solemne semper fuit. Unde rerum gestarum & memoriæ veteris ordinem, sed & imperiorum, populorum, & Regum illustrium rectefacta & seriẽ ita tenuit, ut eruditissimus quispiã de antiquitatis memoria in contentionem cum illa venire non auderet. Illam verò in commoda Patriæ industriã quis dignè prædicet? Certè meritam huic Principi gratiam memori

mente persolvite Polonia & Litvania, quòd vestrarum rerum in fragili quidem at non fragilem nec tenuem gloriam auxerit, exoticisq; terris laudem ademerit! O quantam auri argentiq; nostri copiam exteræ gentes hauserunt vitro crystalloq; cujus copia cũ in Patria desideraretur, ingenti ære peregrinis veniebat è terris! At nunc, quem fugit? quanta curâ? quanto sumptu ejusmodi dispendiis obviam iverit, obstiteritq; Princeps Celsissima, cum artifices de longinquo deduxit, officinas vitri speculorumq; effectrices erexit; ut quod Majores nostri pretiosa solicitudine alieno sub sole quærebãt, nos domi inveniremus. Taciti transcurrimus cæteras omnium prædicatione celebratissimas Principis virtutes, illa nihilominus prætermitti non potest, quam Principes, Proceres, imò etiam populares sæpe ante oculos ponunt, crebris sermonibus usurpant, & admirantur, quæ inter omnes eminuisse videtur, illa nimirum Pietas ANNÆ Celsissimæ in Principem Conjugẽ CAROLUM. Non imminuta tantũ sed sublata jã est nostris ab animis illa admiratio, quã

sat

ſat amplè celebrata veteris Artemiſiæ in Mauſolum benevolentia & ſtudium excitabat, cum virtutem ejuſmodi longè præſtantiorem in ANNA orbis viderit. Utinam ea orationi eſſet facultas, ut ejus digna contingeret laudatio, cujus ſpecimen & exẽplar rariſſimum ac prope inauditum in ſe Princeps noſtra exhibuit. Quod namq; ſtudii aut officii genus, quæ res in pietate conjugis erga maritum requiri ac deſiderari, imò etiam cogitari poteſt, quam Celſiſſimo CAROLO tum in vivis agenti, tum è vivis erepto; Princeps noſtra nõ teſtaretur? ſive enim reverentiam in Celſiſſimum Maritum deſideres? hæc nunquam ANNÆ exceſſit animo, cui nihil antiquiùs fuerat, quàm gratam CAROLI memoriam recolere, at non alio niſi *Benefactoris* ſui vocabulo. Sive piiſſimi amoris Virtutem requiras? hic tantus in illa erat, ut nullos inter Conjuges major & religioſior eluxerit. Hunc luculenter declarabat profectus ex cariſſimi Principis amiſſione ardentiſſimus ac perpetuus dolor, quem ille nonniſi dies extinxit, qui vitam ANNÆ eripuit. Hunc ſignificabat illa

ſeptem & viginti annorum viduitas, hunc illuſtrabat cõtinuus in humeris, conveniens tantũ luctibus color. Et quã gravi amoris æſtus dolorisq; fuerit, ſatis illæ atrarum sẽper veſtium umbræ, quas Princeps Celſiſſima toto viduæ ætatis curriculo haud unquam deſeruit, indicârunt. Tacemus illum ſummi amoris indicem, magnificentiſſimum funeris apparatum, & honorem quàm ampliſſimum, quô juſta CAROLO JUSTO ANNA perſolvit, ſupremaq; officia celebravit. Tacitas nihilominus haud relinquemus pias illas lachrymas, & protractas ad novem prope ſubinde horas precationes, quas ad ſepulti Conjugis monumentũ fundebat, quoadusq; Ducalem Aquileiá Neſviſiũ incoluit. Neq; tamẽ ejuſmodi lachrymas ab oculis, preces gemitusq; ab ore, protrudebat aliqua ultra modum efferveſcentis mæroris impotentia, ſed ſanctiſſima potiùs ciebat ſolicitudo, ne anima piiſſimi CAROLI, corporis vinculis ſoluta, piacularium flammarum ignibus luſtraretur. Communiunt hanc rem firmiſſimè ſuis teſtimoniis Neſviſium, Biała & Leſna, in quibus

bus ut nulla non die in subsidium vita functi Principis Cancellarii, cælestis hostiæ oblationes fierent, curam & pretium singulis anni partibus Constanter ANNA impendebat. Quid etiam auxilii & ipsa intermisit, quod Principis animæ afferre potuit? Cum nulla hebdomas totâ ejus vitâ efflueret, qua ferendi CAROLO subsidii gratiâ suũ sacra Confessione non perpurgaret animum, & mensæ cælesti non accumberet, aut eâ luce ad hæc Divina Mysteria accedens, qua Celsissimus CAROLUS, supremam, quod ajunt, benedictionem sibi & Proli Carissimæ impertiit, aut illa die, qua inter mortales esse desiit. Quis igitur tam sanctum, tam castum, tam Religiosum in Conjugem amorem ac pietatẽ non admiretur? quis has virtutes ut imitatione ita gloria immortali dignissimas non judicet? O amor! o pietas! o eximium tenerrimæ in Conjugem reverentiæ & dilectionis exemplum? Ibit certè, ibit in sæcula fuisse Principem ANNAM specimen omnium officiorum Virtutum omniũ exemplar, quarum cum infinitus prope numerus orationi occurrat singulæq; permi-

 stam

ſtam de Gloria contentionem faciant, ab hoc quodam veluti tumultu ad reliquã ſui partem procurrit oratio.

PARS TERTIA.

A Matre præſtantiſſima ad Prolem Optimã progreditur eloquentia, deſcẽdit & Gloria. Pugnabat illam ſibi deberi Nomen Genusq; Magnæ Principis, contendebant eandem ſuam eſſe virtutes Matris nunquam ſatis deplorandæ. Aſt ubi in hanc cõtentionem deſcendit Celſiſſima Proles, longiori diſceptationi & controverſiæ locus omnis auferri videtur. Si enim judicium orbis univerſi, omniumq; ætatum Conſilium exquiſiverimus; cujus ſententia non eò decurret, ut Gloria Parentum Hæreditas Filiorum eſſe decernatur? Debetur ſanè Nomini & Generi Ducali Gloria ampliſſima, debetur virtutibus maxima, at verò Proli Celſiſſimæ omnis cedat, neceſſe eſt. Quid namq; effloreſcit juris ad Gloriã in ſtirpe, quod non conſpiciatur in progenie? *Quæ etiam virtus effulſit* in MATRE, quæ non reluceat in FILIIS? Vivũt poſt fata in his Nepotib9 Majores, quos Magnos effecit fama, Maximos

ximos rectefacta. O si etiam mortali cinere gravatos attollerent oculos, viderent profecto splendorem Nominis Generisq; sui tantis auctum incrementis, ut nulla pæne amplioris lucis accessio ad perfectam immoralitatis diem desideretur; spectarét non tam Filios gloriari de Meritis Patrum, quã Patres mæreri de Patria rectefactis Filiorum, eorumq; prædicatione seipsos efferri, honoribus illustrari cum ingenti *gaudio mirarentur*. Magno luctu cõficiebatur Patria, quoties non ingratâ memoriâ repetebat sibi ereptos Reipublicæ Servatores, gentiũ Victores, victoriæq; ipsius Triumphatores, illos antiquitate Generis & Meritis ornatissimos Principes RADIVILLIOS NICOLAOS, CHRISTOPHOROS, JANUSSIOS & quotquot erant ejusdem Nominis Duces Clarissimos, utq; suis caros, ita hostibus metuendos. Deplorabat Senatus, Senatorum purpurâ indutos magni consilii Angelos, Angelicam in terris non induisse immortalitatem. Desiderabat Religio GEORGIUM Purpuratũ Ecclesiæ Patrẽ, ALBERTUM M.D.L. Magnum Cancellarium;

NICOLAUM CHRISTOPHORUM Palatinum Vilnensē Veſtros PRINCIPES CELSISSIMI Atavos, morum innocentiâ, vitæ ſanctitate, Corporis afflictationibus, & amplificandæ Religionis ſtudio celeberrimos. Requirebat CAROLUM Veſtrum Celſiſſimum Parentem, Cujus Prudentia, clementia, Juſtitia, Pietas atq; in minimam JESU Societatem Benevolentia vigebit in omniū memoria ſæculorū, quam poſteritas alet, & ipſa æternitas intuebitur. Univerſi demū amiſſorum Principum RADIVILLIORUM deſideriô æſtuabant. Aſt tu Princeps Celſiſſime, Palatine Vilnenſis Illuſtriſſime & M.D.L. Exercituum Dux Maxime, Superū beneficiô, Naturæ & fortunæ auxilio, virtutum omnium ſtudio, ſapientiſſimè provideras, ut quod cum Majoribus Tuis per invidiam fatorum ablatum & extinctum Patria, ſenatus populusq; Polonus & Religio querebātur, omne id in Te ipſo jam inveniant. Quid enim in illis ſuperioris ævi Heroibus RADIVILLIIS, aut fortitudinis, aut præſidii, aut potentiæ & felicitatis eluxerat? quid in illis Senatoribus conſilii, ſapientiæ,

entiæ, in liberũ populum amoris, curæ & ſolicitudinis effloruit, quid in illis Principibus ſanctitatis, æquitatis, manſvetudinis enituit, quod in Te *Duce* PALATINO, PRINCIPE copioſiſſimè non eluceſceret.

Videt Patria in Te DUCE Maximo Litvani Martis felicitatem, ſummam rei militaris ſcientiã, invictam animi fortitudinem, in regendo exercitu induſtriam & authoritatẽ, cæteraq; omnia bellicæ virtutis præſidia, quæ & Polonæ Genti Nomen, & Nomini gloriã, & gloriæ immortalitatẽ pepererunt. Felices ſanè martiæ animæ, quæ Martẽ ſpirant in ejus Exercitûs Corpore, cujus Caput tantus Imperator. Felices illo Moderatore Exercitus, qui cum Patriã muniunt, ipſi Magno ſui Ducis Nomine tanquam ingenti hoſtium terrore muniuntur; cum libertatẽ propugnant, ut ipſi etiã à morũ corruptela ſint liberi, legibus vinciuntur, ſed & amore foventur. Quid verò memorẽ illam dignã Præſtantiſſimo Duce vigilantiam, ut liberæ Gentis juventus cerea, jã à puero ad martios ignes flecti, iiſdemq; ardere diſcat. Teſtis eſt hujus vigilantiſſi-

mæ curæ illa, quam DUX Optime constituisti, lingvarũ & artiũ multiplicium Palæstra, in qua militaribus disciplinis excolitur, & pulcherrimis equitandi, digladiandi, neq; manu tantùm, sed lingvis, sed eloquio certandi artibus imbuitur florens ætas, omnibusq; doctrinis eruditur. Prospicis ita Nobilitati Polonæ, ut illi non acrior sit acies ferri quàm ingenii, nec capulum venustius, quàm caput. Hinc teneriores ejus annos sequi Annibalem doces, ut deductâ ad aras juventâ, pectora Marti devoveant, at capita Palladi consecrent; ut discant dexteræ chalybeum fulmen, & unà eruditũ calamũ stringere, ut noverint non modò omnes equitandi articulos, & ad Equestris Palæstræ regulã effrænes indomitosq; moderari ac flectere sonipedes; verùm etiã, ut (si fas est uti pòetico loquendi modo) ut inquam alato quoq; Pegaso in altiora Musarũ culmina evehi non ignorent. Palam certè orbi facis Dux Exercituum Supreme, quàm altè Tuo Cordi insedit salus Patriæ, dum ei provides & firmissima præsidia belli & amplissima ornamenta pacis. Videt etiam Senatus Populusq;

lusq; Polonus in Te Primo Litvaniæ SENATORE Magni Consilii Angelũ, Patriarum Legum Custodem Archangelũ Michàëlem. Unde non manu tantùm Imperatoria, sed capite Palatino, non armis duntaxat sed saluberrimis consiliis salutem Regni sustentas. Quamobrem si animi tui sententiam in medium profers, fortissimis rationibus, eximio iudicio, & summa prudentia eam firmas. Neq; solùm præterita, præsentia, verùm etiam illa, quibus veræ laus prudentiæ nititur, futura pervides, ubiq; cavens, ne quid detrimenti accipiat Respublica. Vidimus hunc perspicacem ad omnia tuum animũ in Te ad causam Curlandiæ Commissario, quæ ne avelleretur à Polonia, inimica bono Patriæ consilia hostium convellisti ac dissipâsti, spemq; illis potiundæ hujus Provinciæ infregisti. Comperimus etiam admirabilẽ Tuam tractandorũ in maximis Reipublicæ fluctibus Animorũ solertiam, quorũ procellas sedâsti, & discordias in tranquillum contulisti, ubiq; Angelus pacis ac consilii & concordiæ Author. Quantus verò sis legum Custos justitiæq; cultor, patuit

 uni-

universis, cum Te Supremum judiciorum Arbitrũ, Tribunalis Litvanici Mareschallũ vidimus. Et licèt ejusmodi virtutẽ silentio coluerimus, loquentur lapides de pariete, tum in Castrensi Vilnæ Curia à Te constructa, tum in ejusdem promptuario, seu ut ajunt Cancellaria, quam ad tabulas, juraq; conservanda tuæ munificentiæ dextera erexisti. Utq; hanc laudis partem verbo absolvamus, nihil officii, nihil diligentiæ in gerendo amplissimi Senatoris munere desiderari pateris.

Sed quid etiam Religio in Te PRINCIPE Piissimo desideret? quam ubiq; patrocinio tueris, exemplis illustras & amplificas beneficiis. Quidni Te præsidium & tutelam religionis esse celebremus, qui ab errorum caligine in veræ fidei lucem traductos singulari benevolentiâ complecteris, qui Viros morum probitate præstantes, & orthodoxæ professionis institutis viventes altioribus in Exercitu muneribus præficis; qui nihil operæ prætermittis, ut omnia, quibus Religio præest, munia, tuis in castris religiosè observentur. Exploratum namq; habes

PRIN-

PRINCEPS ornatiſſime, Chriſtianam militiam ſtare non poſſe, cum proſternitur pietas & Religio; neq́; victoriam canere, cum Divinæ leges ſilent inter arma. Ut itaq́; hoc pietatis ardore, quem Divini cultûs ratio poſtulat, martia caleant pectora, ipſe ad omnẽ virtutem præclariſſimi exempli facem præfers, religionemq́; illuſtras. Illudne documentũ non eſſe virtutis dixerimus? quòd cum Te ſummus rerum Arbiter Deus, Nomine, Genere & Honore ſupra cæteros erexerit, tu eò profundiùs coram illo demitteris? aut illud dignum eſſe, quod omnes intueantur; atq́; imitatione exprimant, inficiabimur; quòd licet plurima & maxima negotia Tuum animum circumſtent, hic tamen ita non recedit ab illis, ut in DEUM tendat, & ſic ad illa redit, ut in DEO fixus perſiſtat. Hinc nulla dies Principi tranſcurrit ſinè linea pietatis, hinc illa frequens cæleſtibus Epulis refectio, hinc deniq́; multa ſplendoris & ornamenti à Te Princeps Celſiſſime Religioni acceſſio. Quibus verò beneficiis eam amplificas, documento ſunt ſacræ Divorum ædes ac Religioſarum Familiarum

liarum domilia, quæ aut Ducali liberalitate reficis, aut excitas. Non inimus horum beneficiorum numerum; quæ à Principe liberalissimo non omissa, verùm ab oratore & in temporis & in orationis angustias cōpulso omnino sunt prætermittenda. Neq; ita à nobis fieri quispiam miretur, cū à Principe collatæ vel in solam Loyolæ Familiam gratiæ, etsi tenuiter & levissimè tractentur; unius orationis finibus comprehendi haud poterunt. Ita Dux, SENATOR & PRINCEPS Amplissime, omnia in Patriam & Religionem Patrum merita, & cùm belli tum pacis ornamenta collegeras, ut omne eorū desiderium auferre videaris. Quo pacto etiam amplissimas MATRIS Celsissimæ virtutes complectaris, non est operæ hoc loco in medium proferre, cum illæ in ore omniū atq; oculis versentur, perspicuæ sint atq; jam in medio positæ videantur. Jus tamen & fas est properante jam ad terminum dictone illam Tuam attingere pietatem, qua cum Matre Filius certare es visus, ut non magis benevolentia MATRIS in CONJUGEM, quā FILII in MATREM triumpharet. Utq;

hæc

hæc contentio æmulæ gloriæ certior esset, honorem & amorem in auxilium vocastis. Quis honor habitus à FILIO Matri, sati clarè indicat illa, quâ pii extinctæ Principis cineres in Mirẽsi Comitatu excepti sunt & collocati, ingens pompa; cùm scilicet dolore architecto erecti arcus flecterentur, erigerentur Pyramides, Colossi assurgerẽt, mæstis oratorũ vocib9 plateæ personarent, & ad ferventissimi doloris indicium, ignib9 undequaq; arderent. Eundem honorem declarat abundè, amplissimus æquè ac luctuosissimus Funeris apparatus, quo in tanto luminum Patriæ & decorum maximorum concursu Matrem cohonestas. Quis etiam in illam amor ardeat Tuo in corde, comperimus; cum Ejus causâ tot preces in cælum emissas, opes in egenos liberalissimè effusas, plurima Templa donis, altaria infinitis sacrificiis cumulata vidimus. Neq; id silentio transmittendum est; quantum studiũ non absq; pretio liberali impenderis, ut quoad Matris exuviæ in Templo Mirensi perstiterant, singulis diebus à plurium Sacerdotũ numero solenniter DEO immortali

illa ſupplicaretur & litaretur. Meritò igitur Princeps Celſiſſime Tuæ in Matrem benevolentiæ triumphus gloriæ eſt decernendus, cùm tam magnis in illā officiis & ſtudiis omnium cogitationes viciſti.

Jure etiam æquiſſimo in partem omnium laudū iſtarū venis Magni Ducis & Palatini Frater Celſiſſime Princeps HIERONYME Pocillator M.D.L. qui pariter Majorū Tuorum in Sago Imperatorum, in Toga Procerum, utrobiq; Principum præſtantiſſimorum merita, Maternasq; Virtutes in Te concluſiſti. Dignum ampliore commendatione, & omni laude majorē Te ſæcula prædicabunt vel ex eo; quòd cùm omnibus rebus geſtis altiſſimos Honores mereris, altiores tamen reſpuas, & cum digna maximis præconiis omnia agas, laudem nihilominus â penna, aut ore alieno non admittis, gloriæ majori ducens, ſi laudanda agantur, quàm ſi acta laudentur. Horum itaq; quàm plurima ſilente pennâ transcurrimus; cum ipſum etiam Tullium ſub laudum pondere ſudare còégiſſet, vel ſolum illud celeberrimum ad Krzyczewo negotium, quod per-

duel-

duellis ac barbarus populus Domino ac Principi ſuo exhibuit, cùm ſerviles animæ ſeſe ad pileum evocaſſent, armaq; arripuiſſent; quod tam gravis momenti fuit; ut in eo ſalus Patriæ, tranquillitas Poloniæ, vita Nobilium, & fortunæ multorum agerentur. Plurimum certè moleſtiſſimi laboris ac periculi ex illa ſeditionis lue orbi Polono conflaretur; niſi malo huic tuâ Princeps Celſiſſime providentiâ, induſtriâ, conſilio & celeritate obviam iviſſes, & fracta perduellione, ſeditione extincta, metũ omnẽ, diſcrimenq; ã Patria, à civibus, à fortunis depuliſſes. Patuit vel tunc apertiſſimè omnes imperatorias in te virtutes florere, & quantũ à te præſidii & auxilii ſalus publica in maximis etiam Poloniæ fluctibus ac bellis poſſit ſperare. Neq; jam latet quantum ornamenti Senatoriæ acceſiſſet purpuræ, quæ ſe tibi ſupplex offert; ſed tu mavis potiùs hac majoriq; dignitate dignus videri & eſſe, quàm illâ ornari. Quid etiam abeſt à te, quo ſalvam Religionẽ tueri, augere & illuſtriùs ornare poſſis. Abundè hunc tuum in illam amorem & ſtudia, declarant illæ ore

Ducali effusæ voces: effecturum Te (inquiebas) DEO auspice; ut in Słucensis Ducatûs Metropoli Vitembergensis ac Genevensis secta consenescat aliquando atq; pænitus concidat. Quid hæc sibi verba volunt? quæ tua mens, quod consilium Celsissime HIERONYME? nisi ut DEI ter Optimi Maximi cultum, orthodoxam Religionem firmiùs defendas, latiùs promoveas & illustres. Audite hæc & plaudite, quibus pietas & Religio cordi & curæ est, atq; vocem Christiano Principe dignissimam amplissimis laudibus concelebrate.

Sed & vestrã jam hîc sæcula depromite sententiam, quam exquirimus. Si superstitem post fata Celsissimæ Principis Gloriam referendam Nomini & Generi Celsissimo dicitis; tum quòd ad eam comparãdam plurimum virtutis cum sangvine contulerint; tum quòd ètiam dignitate, meritis & honoribus suam esse eandem confirment; si illam amplissimis ANNÆ Virtutibus deberi judicatis, quòd eam sibi jure naturæ vendicent; omnem profectò Gloriam PROLI CELSISSIMÆ decernetis, quæ Nominis

nis & Generis dignitatem, & Majorum merita & virtutes Matris complectitur. Vobis, vobis Principes Celsissimi illa omnium judicio debetur; Vestra hæc est possessio, Vestra hæreditas, Vestrum quoq; hæc esto solatium. Doletis extinctam Matrem superstites Filii! dolet Vobiscum & Patria; præsertim, ubi spem suam maximam, in Tuo Celsissime Palatine primogenito NICOLAO præmaturis à fatis antea præcisam, ad grandius doloris spectaculum uno sua cum Avia funere condi intuetur. Luget horum siderum occasum addictissimum suis Fundatoribus RADIVILLIANUM Collegium, luget universa Loyolanæ Familiæ Provincia, perpetuoq; omnium animi inluctu jacerent, nisi Vestra benevolentia & favores sustentarent. Licet enim Matre & Patronâ amplissimâ orbati nihil jam agere possimus, quàm ut perpetuò lugeamus; Vestrum tamen patrocinium, tuaq; Supreme Dux Celsissima soboles JANUSSIUS & CAROLUS Patriæ decora, magnæ spei Principes, dolore confectos reficiunt animos. Hi itaq; erecti

 ejus-

ejuſmodi ſolatiis, vota preceſq; ferunt ad vos Superi! ut erepta MATRE Celſiſſimos FILIOS & Nepotes cum univerſa Superſtitum RADIVILLIORUM Familia Reipublicæ ad ſolatium, Religioni ad præſidium, minimæ JESU Societati ad firmiſſimam tutelam ſalvos & incolumes quàm diutiſſimè conſervetis.

Ad M.D.T.O.M.G.B.V.M.S.L.O.C.H.